

bonum noxium est, annon? nullum, ut arbitror. quod innoxium est, numquid nocet? nequaquam. quod non nocet, numquid malum facit? neg, istud quidem quod aut enihil mali facit, nullius mali est causa? nullius. Item, nonne conducibile bonum est? prorsus. ergò bene feliciterq; agendi causa est? est. non igitur omnium causa bonum est, sed eorum, quæ bene se habent causa; eorum verò quæ malè, nequaquam? Sic est omnino. Non igitur DEUS, cùm bonus sit, omnium causa est, ut multi dicunt, sed paucorum quidem hominibus in causa est, multorum verò extra causam. Multo enim pauciora nobis sunt bona quàm mala. καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν ἕδρα ἄλλον αἰτία λέον. τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' αἰτία θεὸς ζητεῖν τὰ αἰτία, ἀλλ' ἔν τῷ θεῷ. Et alibi: ὁ θεὸς τὸ ἀγαθὸν ἔκ τῆς φύσεως ἀλλ' ἔκ τῆς φύσεως: DEUS est bonum non honore, sed natura. Infinitatem verò & immensitatem in divino Parmenide operosus est demonstrare PLATO, quemadmodum non solum ex contextu ipso, verùm etiam ex PROCLUSO in Theolog. & MARSILIO FICINO in Parmen. cuilibet patefcit.

II. Sic æternitas DEO quoq; attribuitur, quando in Timæo αὐτοφύης, sui ipsius genitor, vel à se ipso natus nominatur. Quia si DEUS nascitur à seipso, nec vel à nihilo, vel ab alio nasci potest, necessariò semper fuit Deus, à quo DEUS ipse nasceretur. Si Deus est, non est natus ex nihilo, non ex aliquo alio: in æternum igitur fuit ipse sui causa. Ostenditur itaq; hoc ipso Deum suimet esse principium æternum, & à se habere quod est. Vide omninò AUGUSTINUM STEUCHUM libro V. de perenni philosoph. c. II.

12. Similiter Plato in Parmenide solum DEUM ait absolutissimam possidere scientiam, qua possit etiam res humanas omnes cognoscere: ἔκ τινος μᾶλλον θεὸν ἔχειν τὴν ἀκριβεστάτην ἴπιστήμην, οἷος ἔστι αὐτῷ θεὸς τὰ παρ' ἡμῖν γινώσκειν. αὐτὴν ἴπιστήμην ἔχων. Et quod apud Deum sit hæc dominatio omnia noscendi. Justitiam quoq; ejus in Theæteto eleganter adstruit: θεὸς ἔδαμῃ ἔδαμῶς ἀδικῶν, ἀλλ' ὡς οἰοντε δικαιοτάτῳ. i. e. Deus nullo modo est injustus, sed ut convenit, justissimus.

13. De veritate Dei elegantissimus habetur locus lib. II. de Rep. ubi, cùm enumerasset Deo nullas mentiendi causas superesse,